



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LXXVIII. Gregorii Papae I. Ad Donellvm. De eo quod anima amat
amantem se.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ritatem, eum similiter quæ esset consuetudo curauimus requirendum. Qui vt credi sibimet suaderet, atque a nobis valeret quod petebat exigere, sub iureiurando testatus est antiquam consuetudinem fuisse, vt in quatuor aut in quinque solennibus litaniis pallio ciuitatis suæ episcopus vteretur. Experientia ergo tua diligenter inuigilet, & cum omni solicitudine quot litaniæ solennes ab antiquitate fuerint requirat. Nec eas solennes nominando requirere studeat, sed maiores, vt per hoc, quod nobis præfatus Adeodatus diaconus testatus est, & prædicti Ioannis episcopi fatetur epistola, dum constiterit quantæ litaniæ solennes fuerint, quotiens indui solebat in litaniis pallium cognoscentes, libentissime concedamus. Sed hoc non ab illis perquirat, qui ab ecclesiasticis exhibentur, sed ab aliis quos sine fauore partis esse cognouerit, & quæque solicita indagatione repererit nobis subtiliter indicet; vt veritate, sicut diximus, cognita, fratri coepiscopi nostri reuerendissimi Mariniani animos releuemus.

Mense Julii, indictione secunda.

EPISTOLA LXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD DONELLVM.

De eo quod anima amat amantem se.

Gregorius Donello erogatori.

IN nostra mente vestra magnitudo quantæ sit dulcedinis, ex vestra, vt suspicor, mente pensatis; quia, sicut scriptum est, Amat anima amantem se. In eo ergo quod me diligitis, vos quoque a me diligi scitis. Et quod prius illuc Castorio chartulario nostro veniente vobis minime scripsi, non torporis fuisse credite, sed & ægritudinis & occupationis. Nam nos & præsentes vos videre cupimus, & absentibus colloqui saltem per epistolam desideramus. Vnde & optamus vt vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat; quatenus in omnipotentis Dei gratia perfaci præsentia vestra mereamur.